



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De mutandis sanctis locis. xc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

Vt sanctorum reliquia in oratoriis villaribus non ponantur. Cap. LXXXVIII.

Ex cōcil. Epāonēsi cap. 25. **S**ANCTORUM reliquia in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericus cuiuscunque parochia vicinū esse contingat, qui sacris pignoribus psallendi frequenter famuletur.

Vt sedes episcopalis si necesse fuerit in alium locum transferatur. Cap. LXXXIX.

Ex regi. Greg. ad Ioannem Billitran. episcopū. **T**EMPORIS qualitas admonet, episcoporum sedes antiquitate certis ciuitatibus constitutas, ad alia quæ securiora partemus, eiusdem dioceseos loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & Barbaricum possit periculum facile declinari. Propterea te Ioannem fratrem coepiscopumque nostrum Billitranensis ciuitatis, sedemque tuam in loco qui appellatur Renati ad sanctum Andream apostolum precipimus exinde transmigrare, quatenus & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinem solennium festorum disponas.

De mutandis sanctis locis. Cap. XC.

August. dicit. **T**RIBUS causis loca sanctorum transmūtanda sunt. Primò, cum necessitas persecutorum loca eorum grauit. Secundo, quum difficultas locorum fuerit. Tertiò, quum malorum societate grauantur.

Quòd translatis martyribus, honor interdum cum illis migret, interdum in loco permaneat.

Caput XCI.

Ex dictis Hieron. **N**OTANDUM quum transmūtantur aliqui de martyribus, cum his honor commigrat: aliis verò transmūtatis honor in locis eorum esse non cessat.

Quòd sanguis martyrum consecrat locum, non locus sanguinem. Cap. XCII.

Ex dictis August. **S**ANGUIS martyrum consecrat locum, non locus sanguinem. Si aliquis dixerit, mea est Ecclesia: dices illi, quod in Cantico legitur: Vna est columba mea, & vnus est dilectus meus. Et dices illi: Aptum est filium occidi in sinu matris, & nutricis suæ? Tamen scias nutricem tantum pollutam, & pro hac pollutione consecratam, filium autem matrem esse.